

curabit quoque Majestas Sua, quod vivente Sacra Caesarea Regiaque Majestate Domino nostro Clementissimo in nullam administrationem Regni sese intromittet absque suae Caesareae Regiaeque Majestatis expressa ac specifica benigna voluntate Regnicolarumque assensu. Atque hae sunt conditiones, quas Majestas Sua Regia ante Electionem suam acceptare, sufficientibusque litteris suis assecutoriis sub verbo Regio confirmare, post Coronationem vero suam tempore suscepti regiminis generalibus articulis inseri et publicare dignabitur. Nos itaque praedicta universorum Statuum et Ordinum Inclyti Regni Hungariae et partium ei subiectarum supplicatione clementer admissa, pro benigna animi nostri propensione, ipsisque clementer gratificandi voluntate, praeinsertos universos articulos, ac omnia et singula in eis contenta, rata, grata et accepta habentes, eisdem Regium nostrum consensum benevolum pariter et assensum praebuimus et illos ac quaevis in eis contenta acceptauimus, approbauimus, ratificauimus et confirmauimus. Promittentes et assecurantes Status et Ordines in verbo nostro Regio, quod praemissa omnia tam nos ipsi Regiminis nostri tempore observabimus, quam per alios fideles subditos nostros cuiuscunque Status et Conditionis existant. observari faciemus, uti vigore huius nostri Diplomatis acceptamus, approbamus, ratificamus, confirmamus atque promittimus. In cuius fidem et testimonium litteras has manu propria subscripsimus et Sigilli nostri impressione muniri iussimus. Datum in Civitate Posoniensi die decima quinta mensis May. Anno Millesimo sexcentesimo decimo octauo. Subscriptionis vero series haec est: Ferdinandus. Paulo inferius vero: VI. Leonardus Gerius. Nos itaque iuxta postulationem eorundem dominorum Statuum et Ordinum Regni praeinsertas litteras Sacrae Regiae Majestatis assecutorias praesentibus litteris nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali inscribi et inseri facientes sub Sigillo nostro authentico extradandas duximus et concedendas. Datum Posonii die vigesima quinta Mensis May Anno Domini Millesimo sexcentesimo decimo octauo.

Comes Sigismundus Forgach de Gyemes m. p.

(Locus Sigilli authentici Palatinalis.)

Emericus Zkolek m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae. Priv. N. 137.